


06
A
970



734

Cursus Philosophici
DISPUTATIO VII.

De

COMPOSITI-
ONE SYLLOGISMI,

PROPOSITA

In Alma VVitebergensi Aca-
demia

PRÆSIDE

Dn. IACOBO MARTINI,
Profess. Log. & Phi. Pract. Publ.

Respondente,

CHRISTIANO HÜLERO
Suinforiensi Franco.

Ad diem 10. Januarij, loco &
horis consuetis.



VVITEBERGÆ
Typis Johannis Gormanni, Anno 1616.

1130

1520-172100

АТИСОНОВ
Андрей Николаев

Даниил Маркович

ЧИРИЛЛ НИКЕР

Лаврентий
Андрей Григорьев

Cursus Philosophici DISPUTATIO VII.

De COMPOSITIONE SYLLOGISMI.

Continatio.

Principia Syllogismorum tam proxima, quam remota, in se considerata, fuerunt hactenus; sequitur ut ipsum Syllogismum videamus, & ex libris prioribus Analyticis Philosophie nostri explicemus & proponamus.

Thesis I.

Ostrina de Syllogismo tribus potissimum capitibus absolvitur: Primum est de ξύλοις sive compositione Syllogismi: Alterum de Ανάλυσι sive resolutione Syllogismi: Ultimum de speciebus variis argumentationum cum Syllogismo affinitatem habentium.

II. De compositione Syllogismi quatuor sunt cognoscenda.
1. Quid sit. 2. Quibus constet partibus. 3. Quomodo fieri debeat.
4. Quot modis fieri debeat.

III. Syllogismus est ratiocinatio, in qua ex quibusdam certâ lege dispositis, diversum quipiam ab illis, quæ disposita sunt, necessariò sequitur.

IV. Cetera lege disposita, sunt tres termini: 1. Major. 2. Minor.

A 2

3. Medi-

Prædicatum
fati
3. *Medius.* Major est *extremum questionis*: Minor est *prædicatum questionis*. *Medius*, qui cum utroque *extremo* semel componitur: facitque duas propositiones: *Majorem*, in qua Major terminus disponitur cum medio: & *Minorem*, in qua Minor terminus cum medio unitur.

V. Ex tribus igitur hisce terminis, duabusque propositionibus, certa lege dispositis, infertur conclusio, quæ ante Syllogismum constitutum questione erat.

VI. Ut queritur: an *voluptas sit bona?* Affirmatur: probaturq; à proprio: quia est secundum naturam. Resolvetur questione in *prædicatum*; adeoque Major terminus erit *Bonum*: & *subjectum*: proindeque Minor erit *Voluptas*: quibus additur Ratio, quæ *Medium* constituit: *Esse secundum Naturam*.

VII. Disponatur porro hoc medium cum *Majore & Minore*, eritque Syllogismus perfectus &, quæ modo dicebatur questione, erit conclusio, hoc pacto:

Omnis, quod est secundum naturam, est bonum.

Voluptas est secundum naturam:

Ergo voluptas est bona.

IX. Quod autem ex tribus istis terminis in duabus propositionibus legitimè dispositis conclusio necessariò sequatur, facit discursus naturalis, in quo Syllogismi fundantur, qui affirmativus in scholis dicitur *Dictum de omni*.

IX. *Dictum de omni* est, quando nihil licet sumi *subjecti*, de quo non dicitur *prædicatum*: Vel *Dictum de omni* est ejusmodi reguli, quæ dicit: *Quocunque dicitur de omni aliquo, id quoq; dicitur de iis, quæ sub eo subsumuntur.*

X. Ubi vox *QVODCVNQUE* denotat *prædicatum questionis*: hæ verò, *DE OMNI ALIQUO*, subindicant medium: istæ tandem *DE IIS, QVÆ* sub eo subsumuntur, significant *subjectum questionis*.

XI. Est igitur paraphrasis istius regulæ accommodata ad Syllogismum (a) quandounque *prædicatum questionis* dicitur *de omni medio*: (b) etiam dicitur *de subjecto conclusionis*; (c) (c), *Minor*, quandoquidem istud *subjectum* continetur *Medio*,

(a) *Major*.
(b) *Conclusio*.

XII. Par

XII. Par est ratio in Syllogismis negantibus, sive negativè concludentibus. Fundantur enim in discurſu naturali, quem in scholis Dictum De Nullo dicunt: cum nihil sumi possit subjecti, de quo non removeatur prædicatum.

XIII. Quocunq; enim (V. G. *Divinitas*) nulli alicui (V.G. *Creaturae*) convenit; id neque convenit ijs, quæ sub illo (*Creaturae*) continentur. (V.G. *Angelus*) Unde ejusmodi formatur Syllogismus. Nulla *Creatura* est *divina*: *Angeli* sunt *Creaturae*: Ergo *Angeli* non sunt *divini*.

XIV. Dictum hoc de omni & nullo, in quo Syllogismo liquidò conspicitur, in illo est evidenter & actu, diciturque perfectus, & cæterorum regula: Cæteri sunt imperfecti, ideoque ad hunc, tanquam normam, reducuntur.

XV. Ut autem regula hæc de omni & nullo evidenter appareat, tria requiruntur. 1. Ut propositio Major sit universalis. 2. Ut Minor sit affirmativa. 3. Ut Medium & positione & illatione medium sit. Quæ verò quia tantum perpetua sunt in prima figura: sequitur, hujus Syllogismos esse omnium perfectissimos.

XVI. Constat itaque, quod Medium semel cum prædicato, & semel cum subjecto copulatum, faciat duas propositiones, ex quibus postmodum necessariò float conclusio, proindeque integer Syllogismus in dicto de omni & nullo fundatus, oriatur: quoniam verò dispositio hæc non simplex est, siusque medijs non unus, sed diversus, fluxerunt inde diversæ Syllogismorum figuræ.

XVII. Figura enim est certa conformatio Syllogismi, quæ nascitur ex certo & legitimo situ Medij.

XVIII. Sunt autem tres figuræ.

XIX. Prima & perfectissima est, in qua medium subjicitur in majore propositione, & prædicatur in minore.

XX. Secunda, in qua medium prædicatur in utrâque propositione.

XXI. Tertia, in qua medium subjicitur in utrâque propositione.

XXII. Figuræ singulæ per plures modos variantur. Ut enim figuræ nascuntur ex vario situ medij: ita modi ex varia quantitate & qualitate propositionum.

XXIII. Nam modus nihil est aliud, quam consequentia conclusionis, prout propositiones sunt universales, aut particulares, affirmantes, aut negantes.

XXIV. Modos hosce Neoterici facilitatis & brevitatis ergo, quibusdam vocibus artificialibus conceperunt, quarum vocales denotant, quales & quantæ debeant aut possint esse propositiones, & conclusio in quâque figurâ: A universalem affirmantem, denotat. E universalem negantem: I particularem affirmantem, O particularem negantem. Inter particulares computantur quoque singulares.

XXV. Prima igitur Figura, quæ actu & evidenter habet in se regulam de omni & nullo, per quatuor modos variat: Duos universales: affirmantem, *B A R B A R A*; & negantem, *C E L A R E N T*; & duos particulares; unum affirmantem *D A R I I*, alterum, negantem, *F E R I O*.

XXVI. Inter prærogativas primæ figuræ hæc una est, quod omnis generis quæstiones in ea conficiantur. Affirmans, negans: universalis, particularis.

XXVII. Secunda figura per quatuor etiam modos variat, qui omnes sunt negativi; duo verò universales, designati his verbis: *Cesare*, *Camestres*: & duo particulares, dicti *Festino*, *Baroco*.

XXIX. Est in figura hac perpetua observatio. Primum, ut Major sit universalis: alioquin ex veris falsum sequi potest. Alterum, ut altera proposicio sit negans: ac proinde conclusio.

XXIX. Tertia figura variat in sex modos. *Darapti*, *Felapton*, *Disamis*, *Datisi*, *Bocardo*: *Ferison*.

XXX. In figura hac major proposicio libera est: Minor necessariò affirmat: Conclusio semper est particularis.

XXXI. Tanto etiam figura hæc indignior est cæteris, quanto exemplum indignius est, *Syllogismo*. Medium enim hic nihil aliud est, quam exemplum, quod assertur ad fidem faciendam quæstio-

ni;

ni : id' planum fiet, si Syllogismos hujus figuræ resolvas, & in modum exempli formes, quod fit in Expositione.

XXXII. Cæterum vacat adhuc unus locus, in quo medium collocari possit; nempe posset esse prædicatum in Majore & subiectum in Minore, unde Galenus præter tres enumeratas figuras commentus est adhuc quartam.

XXXIII. Verùm quia talis situs medij pervertit propositus naturam medij, adeoque tota illa figura artificialis & contra naturam est, ut inutilis & supervacua, rejicitur.

XXXIV. Regulæ porrò universales, sine quibus esse non potest Syllogismus, haec sunt. 1. Non sint plures tribus terminis. 2. Ex duabus negantibus nihil concluditur. 3. Ex puris particularibus nihil fit. 4. Conclusio semper se aggreget ad partem deteriorem. 5. Non debet esse plus in conclusione, quam in præmissis. 6. Ex veris propositionibus, si recta forma accesserit, non potest concludi falsum: sed ex falsis potest verum casu effici.

XXXV. Extensio canone intelligitur, quantum differant singularia à particularibus: cum ex puris singularibus revera aliquid concludatur: ut id manifestum est in cœlesti, sive expositione, quam Aristoteles probationem certarum figuræ dicit, ut ex & Syllogismis singularibus, de quibus in nostris, egimus institutionibus.

XXXVI. Docuimus primam figuram esse longè perfectissimam, quod actu & manifestè exprimatur regulam de Omni & Nullo: reliquæ non nisi obscurè & implicite. Quare si quis non crederet conclusioni factæ in secunda aut tertia figura, poterit reduci talis Syllogismus imperfectus ad primam, servata eadem conclusione, eodemque medio sed aliter disposito.

XXXVII. Fit autem reduc̄io talis vel conversione alicujus propositionis tuncum, vel conversione hac simul & transpositione solidarum propositionum, ita ut major cum minore sedes commuteret.

XXXIX. Conversio igitur est mutatio enunciationis in aliam consequentem, quæ constat ijsdem terminis; sed ita, ut subiectum fiat prædicatum & prædicatum subiectum, idque servata veritate.

XXXIX. Fit hoc Aristoteli duobus modis: Simpliciter & per accidens.

XL. Illa est, in qua subiectum cum prædicato sedem commutat, servata eadem quantitate: Hæc nempe conversio per accidens, est, in qua cuorū situ partium, quantitas quoque mutatur.

XLI. Simpliciter convertitur universalis negans: ut *Nullus lapis sentit*. Ergo nullum sentiens est lapis, cum particularis affirmans: ut, *Quidam Christianus est doctus*: Ergo quidam doctus est Christianus.

XLII. Per accidens convertitur universalis affirmativa: hoc est ex universalī fit particularis: ut *Omnis homo est animal*: Ergo *quoddam animal est Homo*.

XLIII. Sola particularis negans non convertitur. Si enim aliquod animal non est homo; non statim inde sequitur; aliquem hominem non esse animal.

XLIV. Duobus hisce conversionis modis Averroes & cum eo Boethius addunt tertium: quem vocant per *contrapositionem*: quâ universalis affirmans convertitur in universalem negantem: ut, *omnis homo est animal*: Ergo quodcumque non est animal, non est homo,

XLV. Verum et si sint præter autores hujus conversionis, qui eam magnificant: nos tamen eam non probamus. 1. Quia non observat conversionis leges. 2. Quia nulla consequentia est legitima argumentatio à negatione generis ad negationem speciei; Ergo statim est conversio.

XLVI. Ceterum quibus legibus fieri debeat reductio, doccebunt quoque nos modorum nomina. Ut enim illorum vocales *A. E. I. O.* quantitatem & qualitatem in modis designabant: ita eorum consonantes nobis notas figunt, quibus docemur, quibus legibus facienda sit reductio.

XLVII.



XLVII. Consonantes illæ sunt duplices: Capitales & Mediae.

XLIX. Illæ docent modum unumquemque secundæ aut tertię reducendum esse ad eum primæ figuræ modum, qui ab eadem capitali litera dicit initium: ut Cæsarare ad Celarent Darapti ad Darij; Festino, Ferison ad Ferio; Baroco, Bocardo ad Barbara.

XLIX. Literæ mediae doctrinæ huic inservientes quatuor sunt S.P.M.C.

L. Litera S. docet propositionem debere simpliciter converti: P. propositionem convertendam esse per accidens. M. propositiones transponendas esse. C. reducendum esse Syllogismum per conversionem ad impossibile, sive incommodum.

LI. Est enim reductio duplex: Ostensiva & per incommodum.

LII. Ostensiva reductio est, in qua servatur eadem quæstio: reducuntur hac omnes Syllogismi secundæ & tertiae figuræ, exceptis illis, qui sunt in Baroco & Bocardo.

LIII. Sufficiat unicum attulisse exemplum: In Cesare sic concludimus: nullum malum habet D E V M autorem: Philosophia habet D E V M authorem: Ergo Philosophia non est mala.

LIV. Capitalis litera est C. ergo debet reduci ad primæ figuræ modum Celarent. Deinde quia primam syllabam claudit litera S. quæ jubet propositionem simpliciter converti, quod si fieri, erit Syllogismus in prima figurâ modo dicto Celarent: Quodcumque habet D E V M autorem non est malum: Philosophia habet D E V M autorem: Ergo Philosophia non est mala.

LV. Reductio per impossibile est, in qua ex contrario vel contradictorio indirectè proceditur, muraturque quæstio vera in manifestò falsam sive absurdam. In secunda figura sumitur contradictoria Minoris, in tertia contradictoria Majoris.

LVI. Tandem ad yæsicu sive structuram Syllogisticam pertinet quoque inventio generalis medij, ad figuras accomodata.

B

LVII. Ubi tenendum, quod omnia media in generis
referantur ad tres has notas universales. Sunt enim 1. aut anteceden-
tia terminorum questionis, 2. aut repugnancia, 3. aut con-
sequentia.

LIX. Antecedentia dicimus ea, quae subjiciuntur ter-
minis questionis: hoc est, de quibus subjectum aut prædicatum
potest prædicari. Ut homo est animal: homo est antecedens anima-
lis.

LX. Consequentia sunt, quae de terminis questionis
possunt prædicari: ut in dato exemplo animal est consequens
hominis.

LXI. Repugnancia, quae non conveniunt cum termino
aliquo questionis, sive subjiciuntur, sive prædicentur, ac proinde
faciunt propositionem negantem.

LXII. In inventione igitur aut occurrit medium, quod
est consequens utriusque questionis termini: ut corpus animatum
est consequens utriusque termini dati exempli: sed nihil conclu-
dit. Erit enim Syllogismus ex puris affirmativis in secunda fi-
gura.

LXIII. Aut erit repugnans utriusque: ut lapis repugnat
utriusque termino exempli dati: sed nihil in forma concludit: erit
enim Syllogismus ex puris negantibus.

LXIV. Aut medium erit consequens subjecti & antecedens præ-
dicati, & rursus nihil concluditur: erit enim minor negans in
prima & tertia figura.

LXV. Aut medium erit repugnans prædicati & con-
sequens subjecti; & habebis Syllogismum in Barbara aut Da-
ry.

LXVI. Aut medium erit antecedens subjecti & re-
pugnans prædicati, habebisque Felapton, Bocardo Ferison.


67. Aug

LXVII. Aut medium erit antecedens utriusque, & erit
Syllogismus in Darapti, Disamis, Datisi.

LXIX. Aut medium est antecedens subjecti, & conse-
quens praedicati; & Syllogismus erit in Darij, Disamis, Datisi.

LXIX. Aut medium est consequens attributi & re-
pugnans subjecti, eritque Syllogismus in Celarent & Camestres.
Atque hæc breviter de γνέσι Syllogistica,






06 A 970



137

Farbkarte #13

B.I.G.



7 / 34

Cursus Philosophici
DISPUTATIO VII.
De
COMPOSITI-
ONE SYLLOGISMI,
PROPOSITA
In Alma VVitebergenſi Aca-
demia
P R A E S I D E
Dn. I A C O B O M A R T I N I,
Profess. Log. & Phi. Pract. Publ.
Respondente,
CHRISTIANO HÜLERO
Suinfurtenſi Franco.
*Ad diem 10. Januarij, loco &
horis consuetis.*

V V I T E B E R G Å
Typis Johannis Gormanni, Anno 1616.